

Julius. Iulius Caesar annis V. Hic primus monarchiam tenuit, et ab hoc Cæsares appellati sunt. Ab orbe condito usque ad urbem conditam, id est, Romam, sunt anni MMMM CCCC LXXXIII. Ab urbe autem condita usque ad natiuitatem Christi sunt anni DCCXV, quorum summa quinque milia C XCIX.

Augustus. Octavianus Augustus annis LVI. Huius anno XLII dominus nascitur, completis ab Adam annis MMMMD CCCC LII, et iuxta alios MMMMM C XCIX.

Christus nascitur

Tiberius. Tiberius annis XXIII. Huius anno XVII, dominus crucifigitur.

Mattheus. Caius annis IIII. Mattheus euangelium scripsit.

Petrus. Claudius annis XIIII. Petrus et Paulus Romam, Marcus Alexandriam petit.

Paulus. Nero annis XIIII. Petrus et Paulus cruci gladioque traduntur.

Hierosolyma. Vespasianus annis X. Huius anno secundo Titus Ierosolimam subuertit, templum solo prostravit, post annos prima adificationis M LXXXIX, Dominica autem incarnationis LXXII. Colossus Romæ erigitur, habens altitudinis pedes C et VII.

Colossus Romanus

Titus. Titus annis II. Hic facundus et pius fuit, et uir omnium uirtutum genere mirabilis, adeo ut amor et deliciae humani generis diceretur.

Iohannes Evangelista. Domitianus frater Titi, annis XVI. Hic Iohannem euangelistam in feruens oleum misit, quem postea in Pathmos insulam exilio relegauit, ubi apocalypsin deo reuelante cognouit. Idem Domitianus templum pantheon Romæ edificat, quod Bonifacius papa postea in honore sanctæ Mariæ semper uirginis omniumque matrum Christi consecrauit.

pantheon.

Nerva. Nerva annum I, menses IIII, dies VIII. Hic primo edicto suo cunctos exules reuocauit, et quicquid Domitianus Nero quante eum regnauerat per crudelitatem et petulantiam